

Johannes Kilsenmann

1674

N^v
2993



Honori ac Titulo
In Utroque Jure Summo,

QUO
A Magnifico J.C.^{torum} Collegio in
Universitate Tubingensi,

VIR NOBILIS AC PRÆCLARISSIMUS

**DN. JOHANNES
HÜLSEMANN,**
Lipsiensis,

Cal. Jun. MDC LXXIV.

Publicâ Solennitate conde orabatur,

applaudebant


Academiae Professores, Fautores
& Amici.

TUBINGÆ,

CHARACTERIBUS REISIANIS.

No 2993





I.



HÜLS - MANNE egregii Proles generosa Parentis,
 Non, ut fert nomen, GLUMA vocande mihi;
 Sed FAR (quin vel FARRIS ADEPS) Testatur id ipsum
 DOCTURÆ ex merito qui Tibi venit honor.
 Sat referes, bone GNATE, PATREM, mihi crede, SACERDOS
 JUSTITIÆ si sis. Voti ea summa mei est!

Sic gratulabundus applaud. vovetq;
 Balthasar Raith / D. p. t. Univers. Rect.

II.

Cur Hülsemannus fit nunc in Jure Sacerdos,
 Prag, Choro mavult Arbiter esse Fori?
 Cùm tamen in medio videat vestigia Patris,
 Quo vix Theologus major in orbe fuit.
 Haud ego sim Davus, fuero quin Oedipus alter,
 Dicens, quod res est, cum ratione bonâ:
 Vidit is in Munda, quid jus & fas patiuntur,
 Et quantum noceat vis violenta bonis;
 Quis non presumat? Gnatum concludere; Libros,
 Quos Genitor scripsit, jura tuendo CHORI,
 Omne ferunt punctum; Mihi posthac jura placebunt,
 Ut possim pressos arte juvare mea.
 Sic Hülsemanni (Bene sic, sic!) Nomen ubiq;
 Inq; CHORO rutilat, culminat inq; FORO.

Sic auguratur
 Tobias Wagner / D. Universitatis Cancellarius.

III.

Fortunam & Musas tibimet sociasse videris
 Hæc dum Doctoris præmia digna capis,

Fortunam

Fortunam, quia honor non est sine sorte, quid optem?

Ut duplici detur, tertia Sponsa cito.

Hæc corpus curet, dent Musæ magna Parentis

Nomina, quæ reliqua est perpetuo aucta fiet.

Gratulabundus f.

Burckhardus Bardili, U. J. D. P. P.

IV.

UNanimes aliàs Themis Eusebieq, Sorores,
Nunc corrivales, Te petiere procum.

At Themis Eusebiam vicit, dixitq, Parentem

Nacta quiesce, meus Filius hujus erit.

His de Honoribus Doctoralibus Nobil. & meritissimo
Dn. HÜLSEMANNO, Fautori & Amico suo valdè
honorando, ex animo gratulatur simulque vota
perennis felicitatis officiosè subjungit

Joh. Andreas Frommann / D. Inst. Imp. P. P.

V.

DOgnatis ut falsi *siliquas* Pater Entheus olim
Diffavit plenus Spiritus ætherei,

Veridici cujus semper Responfa fugarunt

Hæreticus quicquid, quicquid & error habet,

Monstravitque sibi non falso Nomen id esse

Hülsmanni, verùm Nomen in Omen agi.

Hülsemanniades Patriæ Virtutis & Hæres

Nominis, atque cui gloria certa Themis,

Cui Latices Juris profundi pectus inundant

Sic precor ut *vir sis*, qui gravitate pia

Omne nefas fraudesque dolosque & quicquid *Averni*

Justitiam oppugnat, protinus ut vacuas

Disperdas *paleas*, *siliquas*, *stipulasq,* *fugaces*.

Sic Honor Insignis Nobile pondus habet:

*Ita Nobiliss. & Praclariss. Domino Doctorando,
allusione ad Nomen Ejus, gratulatur ex
animi mente*

Georgius Henricus Kesser / D. P. P.

A 2

VI, L

VI.

Lipſie Docta decus & Corona
 Hülſemann, Cujus, trabibus quaternis
 Glorians Saxo, genus hoc avitum,
 Fulcit honore.

Quanta non fecit Genitor, tuenda
 Gratiâ noſtra Fidei, quot hoſtes
 Stravit hic Heros Calamo, ſecutus
 Bella ſacrata?

Non minor tanto eſt genitus Parente
 Filius, Cujus Meritum per Vrbes
 Literis claras volas, hîcq; lucet
 Sideris inſtar.

Jure Te noſtri ſtudij Senatus
 ſuſpicit, ſummos tribuens honores,
 Geſtit Vrbs, Nicrus Tubiusque prodiit
 Gaudia plauſu.

Gratulor Palmas, decora & ſuprema,
 Gratulor Munus Duce tam ſagaci
 Prodiens, Sponſam teneramq; toto
 Pectore grator.

Nobiliffimo Clariffimoque Domino Neo-
 Doctori, Fautori ac Amico Singulâri,
 calamo in officia propendente, tripli-
 cem animitus fortunam gratulatur
 Johann- Antonius Winther / D. P.

VII.

Multorum nucleis tua pendo putamina pluris,
 Aurea quippe illis præmia juris emis.
 Si tantos pariunt tibi nuda putamina fructus,
 Proh, nucleus quantas proferet almus opes!

Ita, ad nomen Cl. Domini Doctorendi,
 alludendo applaud.

Joh. Conradus Brotbequius, D. P.

VIII. Pen

VIII.

Pende res equâ populi bilance,
 Furium Mystes novus: & putamen
 Nucleo, granis siliquas, & uva
 Selige floces.

Patrii id poscunt tituli, novusq;
 Infula cinctus. Placet omne, frugi
 Quod bonæ est, legum Cereri parenti;
 Odit iniqua.

Horreis cœli PATER ipse legit
 Triticum, distans paleis. Per alma
 O tibi par sit studium, HÜLSEMANNE,
 Regna Themista.
 Christophorus Caldenbach.

IX.

Dum boreas austerque fremunt & prælia miscent,
 Bellis dum Rhenus fervet ubique feris.
 Te Themidos radii tollunt ad sidera cœli,
 Assequeris magni tanta talenta Patris.
 Non tu vulgari latices de fonte bibisti,
 Divino saturum nectare pectus habes.
 Doctrinâ, ingenio, præstas nam divite multis
 In vita prudens, suavis es eloquio.
 De cathedra Themidos, quæ das responsa probavit
 Doctorum series, digna tuis meritis.
 Plausu Doctorum merito nunc fulgidus esto.
 Cresce vigesce tuis, vive decus patriæ.

*De Honoribus in utroq; jure Doctoralibus
 Domino Hülsemanno amico & fau-
 tori suo ex animo sic gratulabatur
 Johanne Graft/SS. Th. D. P. P.*

X.

HÜLSEMAN abjectis siliquis dum pinguis grana
 Juris, perpetuò Legibus invigilans,
 Collegit, solida sua complens horrea messe;
 Hinc Meritus summo Juris honore cluit:

Possidet

Possidet hinc verum thesaurum Juris, & æquè
Communem sapiens rem propriamque juvat.

Joh. Ludovicus Møgling,
D. & P. P.

XI.

Predicat Hülsmannum communis fama parentem,
Scriptaque multiplici laude per astra vehunt.
Illum, qui sacra Sophiæ mysteria quondam
Pandit, & eloquio Nectaris instar erat.
At novus è nati nunc Splendor surgit honore,
Quem pridem meritis debuit ille suis.
Euge bonum factum! crescit sic fama paterna;
Quid natus valeat fama loquetur anus.
Gratulor & Philyrea tibi (nam debeo, Musis
Olim qua dederas hospita tecta meis)
Excipe, quod Nicriva tibi non lata remittit
Depositum, & dulci perge fovere sinu.

Ita novis honoribus Nobil. & Præclariss.
Dn. Doctoris applaudit
Benedictus Hopper / P. P.

XII.

Divinum meritis in sacro jure PARENTEM
Doctorem qualem Tempa habuere Tuum:
Talem Te celebret præstantem in jure profano
Curia Doctorem, & SAXONIS Aula Virum.

L. Mque pos.
Johannes Ulricus Pregitzer D.

XIII.

Quæ spargis usque huc Semina gnaviter,
Cur non ager cum scenore redderet?
Cur tot Labores non sequatur
Optima messis Honore abundans?
Tellus laborem non tenet irritum,
Nec vana suffert ferre Legumina,

quæ

quæ non quievit deses unquam;
 Omne sed implet ubique Votum.
 Sic cuncta *Virtus* tædia conterit,
 Et dura vincit. Dextra DEI juvet,
ad Tempa Doctorum suprema
Proximè eas, PATRIÆque vivas!

Præclarissimo Domino Doctorando, Patori meo
 colendissimo pauculis hisce ἀγαθῶν ἀγαθίδας
 apprecabar animitus

Ferdinand-Christophorus Harpprecht. D.

XIV.

ECce Hülsemannus, præclara propago Parentis,
 Cujus præclarum Nomen in Orbe viget,
 Post exantlatos Sophiæ Themidosque labores,
 Doctor Doctoris Voce creatur ovans!
 Sic probitas animi Tua, sic doctrina meretur,
 Exculti mores sic meruère Tui.
 Inter Theiologos veluti Pater Optima Stella
 Fulgebat, quo vix Sidere majus erat:
 Sic inter gemini splendentia lumina Juris
 Cum magno applausu TU quoque Splendor eris.
 Gratulor ex animo tam splendida præmia, dudum
 Quæ digno Capiti debuit alma Themis;
 Dum Patriam repetis summo maectatus honore,
 Opto, sient Comites Pax, Honor, atque Salus!

Ita præclarissimo Domino Doctorando applaudit

M. Georg-Burckhardus Knöbel/
 Diaconus Tubing.

XV.

SD wird Herz Hülsemann von Themis recht belohnet /
 Als welches Jugend stets der Tugend hat gefrohnet.
 Wie dabon Tübing' weiß / und Wittenberg zeugt ein
 Von unverdross'nen Fleiß. Doch wie kans anders seyn?
 Denn

Denn Adler bringen ja nur Adler / Pfauen Pfauen /
 Aus eingesämter Urth hat Er Ihm können trauen /
 Zu schwingen sich hinauff / und von der stolzen Höh /
 Der Edlen Weißheit schau'n / wie schlecht der Pöfel seh,
 Solch grossen Geist zu ehr'n / hat Themis lassen winden
 Aus Palm- und Lorber- Zweig ein Ehren- Cron / zu binden
 Umb Seine Edle Stirn. Womit vielfach beglückt
 Herz Doctor Hülsemann nun wird nach Hauß geschickt,
 Er reyse von hinnen zu glücklichen Zeiten!
 Leg die Reys nach Wunsch zurück!
 Er schwebe in Ehren bey Fürsten / bey Leuthen /
 Mit Bestand in Gunst und Glück!
 Er lebe in Seelen und Leibes Vergnügung /
 Nach erlangter Ehren- Cron!
 Geniesse die Früchte der glücklichen Siegung!
 Auf der Themis Ehren- Trohn!

Zu Bezeugung schuldigster Pflicht
 und Tisch- Freundschaft setze
 - und wünschet dieses
 Heinrich Schweder / Beeder
 Rechten Beflissener.

E N D E.



eh,
oen
ctt,


liche
setz


eder

ULB Halle
007 126 573

3







Farbkarte #13

B.I.G.

Honori ac Titulo
In Utroque Jure Summo,
QUO
A Magnifico J.C.^{torum} Collegio in
Univerſitate Tubingeniſi,
VIR NOBILIS AC PRÆCLARISSIMUS
DN. JOHANNES
HÜLSEMANN,
Lipiſienſis,
Cal. Jun. MDC LXXIV.
Publicâ Solennitate condecorabatur,
applaudebant
Academiae Profefſores, Fautores
& Amici.
TUBINGÆ,
CHARACTERIBUS REISIANIS.

No 2993

